

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 39203/06 CG

N

Nullitatis matrimonii

Recursum adversus decretum diei 13 novembris 2006

DECRETUM

Pendente causa, de qua supra, apud Forum Regionale X primae instantiae, die 10 m. iulii a. 2006 Collegium, quinque Iudicibus constans, decretum tulit quo omnes instantias instructorias a parte conventa porrectas atque a Rev.mo Praeside Collegii iam denegatas, expeditissime reiecit.

Quod adversus decretum pars conventa ad Romanae Rotae Tribunal provocavit, causae quoque advocationem ad Apostolicum Forum petens. Decretum votis partis conventae adversum Exc.mus Romanae Rotae Decanus die 13 m. Novembris a. 2006 protulit, qui vi artt. 51 et 52 Normarum Rotalium et recursum a limine reiecit et causae advocationem denegavit.

Ad N.S.T. denique provocavit pars conventa, subordinate causam Rotae Romanae committendam petens.

Quibus omnibus praehabitis:

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Pro comperto habito quod H.S.T. examen circumscribitur motivis a parte conventa adversus Exc.mi Romanae Rotae Decani decretum adductis;

Viso art. 122, n. 1 Const. Apost. *Pastor bonus* praescripto, iuxta quod haec Signatura Apostolica cognoscit querelas nullitatis et petitiones restitutionis in integrum contra sententias Rotae Romanae;

AD RESTITUTIONEM IN INGRUM QUOD ATTINET

Considerato quod pars conventa restitutionem in integrum petit «per la tutela del diritto naturale di difesa della convenuta [...] perché l'istanza di supplemento di istruttoria presentata il 7 febbraio 2006, abbia il suo corso legittimo [...]. A proposito della *restitutio in integrum* il can. 1645, §2, 4°, giustamente distingue tra *praescriptum legis mere processualis evidenter neglectum* - (che da solo non sarebbe sufficiente per la concessione della *restitutio in integrum*) -, e come è logico sottintendere, *praescriptum legis substantialis* (che il *praescriptum legis processualis*, caso mai, avrebbe dovuto tutelare): in sostanza secondo la volontà di legge sono prevalenti l[e] gravi lesioni di diritto sostanziale che riguardano la verità, oggetto dell'intero processo da accertare»;

Perspecto, vero, quod restitutio non autem adversus decretum Exc.mi Romanae Rotae Decani peti videtur, sed potius adversus decreta a Tribunali Regionali X primae instantiae lata: nam decretum Romanae Rotae Decani meram inimpugnabilitatem decreti Collegii firmavit ac, proinde, restitutio in integrum invocata idem attingere nequit ob legem non mere processualem neglectam;

AD QUERELAM NULLITATIS QUOD ATTINET

Praetermissa quaestione, et quidem per se praeiudiciali, an impugnari possit decretum quo Exc.mus Romanae Rotae Decanus causae advocationem denegat;

Considerato quod ad N.S.T. provocatio duo seligit nullitatis motiva:

- «[...] non sentirli [idest: Auditores antiquiores] o sentirli per formalità e non tenerne conto è la stessa cosa»;

- «per di più se la decisione è emessa in forza di un Voto fatto da uno [idest: Promotor Iustitiae] che non c'entra niente»;

Animadverso quod, ad prius motivum quod attinet, ex actis constat Exc.mum Decanum de advocatione Auditorum Seniorum vota die 6 m. octobris a. 2006 petivisse atque alterum eaden die, alterum autem die 21 eiusdem mensis obtinuisse; nec praeterea interest utrum Exc.mi Decani decretum votis consensisset an potius utrique vel alterutri adversatum fuisset; nec, denique, constat ex actis auditionem formalem tantum fuisse: auditio ad normam iuris peracta (cf art. 52 Normarum Rotalinm), idest praevia, libera et consulta, valida legitimaque praesumi debet;

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Perspecto quod, ad alterum motivum quod spectat, ex actis constat Exc.mum Decanum votum Promotoris Iustitiae bis petivisse et obtinuisse: quod decreti validitatem haud inficiat, cum auditio haec haud prohibeatur et Exc.mus Decanus quem ipse vult ad suam decisionem sumendam consulere possit;

AD COMMISSIONEM PONTIFICIAM QUOD ATTINET

Considerato quod rationes petitae Commissionis Pontificiae eaedem sunt quae advocationi impares apparuerunt Exc.mo Romanae Rotae Decano;

Perpenso quod decreta Tribunalis Ecclesiastici Regionalis X, quippe quae haud valuerunt infirmare tot impugnationes ab ipsa Rota Romana demum reiectae, Commissionis Pontificiae causa sufficiens certe exstare nequeunt;

Pro comperto habito quod contentiones rixaeque inter partes utcumque apud ipsam Rotam Romanam haud evanescent;

Animadverso, denique, quod pars conventa, post sententiam definitivam a Foro Regionali X latam, si et quatenus, adire poterit Rotam Romanam;

Omissis ceteris forte ad rem animadvertendis,

decrevit:

Recursum propositum in limine reiciendum esse ac reici;
Commissionem Pontificiam haud esse concedendam et facto haud concedi.

Pro expensis retinetur ex cautione in H.S.T. arca deposita summa 300 Euro.

Quod notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Roma; e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 9 m. martii a. 2007

+ Velasius De Paolis, C.S., *Secretarius*

Paulus Malecha, *vices Praepositi Cancellariae gerens*

IURISPRUDENTIA PROT. N.39203/06 CG